

unus tantum contrahentium vagus est. Cfr. n. 450. Praeterea cavendum ne quis vagus censeatur qui revera alibi domicilium vel quasi-domicilium habet. Quare S. Inqu. 9. Nov. 1898 declaravit non posse Ordinarium parochis concedere licentiam assistendi matrimoniis eorum qui diu in dioecesi versati sint, sed in nulla paroecia domicilium vel quasi-domicilium acquisivisse videantur, puta famulis in magna civitate jugiter ab una familia ad aliam transeuntibus, " nisi, diligenti inquisitione facta, constet eos de quibus est quaestio, neque in civitate N. (in qua vagentur), neque alibi, in nulla paroecia verum vel quasi domicilium canonicum habere, sed esse vagos. "

In omnibus casibus dubiis juvat recurrere ad delegationem Ordinarii vel illius qui certo sit alterutrius contrahentium parochus.

497. IV. Matrimonio assistere quoque potest **alius sacerdos** de parochi sen Ordinarii licentia, ut liquet e *Trid. (l. c.)*, etiam in alia paroecia vel dioecesi.

In hoc delegato ad valorem nulla alia qualitas necessaria est quam character sacerdotalis, siquidem nullam aliam Concilium requirit. Ut autem delegatus censeatur, nequaquam sufficit praesumptus consensus illius qui ordinariam assistendi potestatem habet vel ejus ratihabitio factum subsequuta, sed requiritur licentia expressa, aut saltem tacita, puta dum parochus alium sacerdotem videt omnia parare ad assistendum matrimonio, neque contradicit, cum facile posset. (Vol. I. n. 10) Insuper oportet ut concessa licentia intimata fuerit alteri sacerdoti et ab eo acceptata. Semel autem concessa et acceptata licentia probabilis manet, etiamsi concedens mortuus fuerit, cum sit gratia facta, neque aufertur per revocationem concedentis nisi haec delegato intimata fuerit. (De Becker, op. cit. p. 97) Cfr. dicta de modo quo acquiritur vel cessat jurisdicção delegata ad audiendas confessiones: nam plura in utroque argumento eadem sunt, (n. 327)

Potest etiam *generalis delegatio* dari ad assistendum omnibus matrimoniis, ex. gr. alicujus paroeciae: quae si data fuerit, poterit, sicut quaelibet facultas delegata ad universitatem causarum (Vol. I. n. 117), subdelegari in casu particulari. Attamen ut hujusmodi delegationem licite concedat parochus, requiritur gravis causa: ne irrationabiliter munus suum tanti momenti in alium transferat. Talem delegationem generalem habent quicumque sacerdotes vel ab episcopo cum mandato generali constituti sunt ut omnes parochi vices suppleant, vel ab ipso parochi habent commissionem generalem ad omnium sacramentorum administrationem in paroecia. (Aichner, op. cit. § 192) Hujusmodi sunt sacerdotes qui parochi diutius absentis vices vel vacantis paroeciae curam gerunt. De parochorum adjutoribus cfr. n. 71. III.

Valide etiam poterit alius sacerdos delegari, concessa nupturientibus facultate contrahendi coram quolibet sacerdote: quod probabilis procedit etiam de casu quo una tantum pars hanc facultatem acceperit ab Ordinario vel parochi cui subjiciatur. Attamen hujusmodi delegatio non est licita nisi ob justam causam, qualis interdum contingit in Gallia, Belgio aliisque locis in quibus lex civilis poenas minatur sacerdoti, qui matrimonio astiterit antequam nupturientes coram civili magistratu comparuerint. (Rosset, op. cit. n. 2227)

E responso quod S. C. C. 18 Mart. 1893 (N. R. Th. t. 25. p. 229) post diuturnam dilationem dedit, patet a S. Sede probari praxim in quibusdam magnis civitatibus, praesertim Germaniae, vigentem, nim. ut parochi sibi mutuo generalem delegationem tribuant ad vitandam nullitatem matrimonii eorum qui, factis jam proclamationibus, domicilium mutant et nihilominus dolose in prisca paroecia sua contrahunt. Ad mentem tamen S. Sedis, hujusmodi generalis delegatio non est permittenda, nisi accedente Ordinarii approbatione et delegatione, una cum facultate etiam subdelegandi: insuper eadem generalis delegatio limitanda est ad casum quo res, per petitionem proclamationum factam, jam non est integra, i. e. restringenda ad solos parochos domicilii a sponsis relictis; et quoad durationem ita determinanda est ut expiret si a die ultimae proclamationis (exclusive) elapsi sint duo menses, sive 60 dies completi, vel tot dies completi quot juxta statuta dioecesana requiruntur ut denuo fiant proclamationes. In eundem sensum editae sunt animadversiones circa similem praxim inter parochos Bruxellenses vigentem. (Act. S. S. t. 28. p. 619 seqq.) Attamen ad solam licitatem requiritur interventus Ordinarii, siquidem non apparet quo jure invalida esset delegatio quam parochi, in scio Ordinario, sibi mutuo facerent. Tandem 7 Sept. 1898, S. Offic. interrogatum: " An facultati generali administrandi omnia sacramenta, quae ordinem episcopalem non requirunt, includatur facultas assistendi omnibus matrimoniis fidelium dioecesis? " respondit: " Negative, nisi agatur de vice-parochis, qui ex consuetudine dioecesis habitualiter delegati censeantur pro propria paroecia. " Reapse per praxim de qua in quaesito illo sermo erat, decreti *Tametsi observantia practice* nulla fieret.

498. V. Valide et generatim licite adhibentur testes quilibet, etiam feminae, impuberes, infideles, dummodo, usu rationis pollentes, de contracto matrimonio rite testari possint. (S. Alph. n. 1085) Neque strictam obligationem repellendi heterodoxos induxisse videtur responsum particulare S. Inqu. 19 Aug. 1891 (Coll. P. F. n. 1885): " Non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum. "

VI. De ratione qua tum parochus, tum testes matrimonio interesse debent. haec adverte :

1° Parochus ipse matrimonio assistit, non qua jurisdictionem exercens, sed tamquam testis, ex ipso munere suo designatus ut mutui consensus dati fidem facere possit. Ideo valori matrimonii minime obstat quod parochus adfuerit metu vel vi coactus, fraudulentè alio quolibet praetextu accersitus, etc. Haec enim nequaquam officium scientiae quae unice in teste requiritur.

2° Non sufficit praesentia parochi mere materialis, si nullatenus a contrahentibus ut testis adhibitus est, puta si coram eo contraherent nullatenus de ejus praesentia curantes. Ubi vero intentionem habent utendi praesentia parochi ad matrimonium celebrandum, fieri nequit ut eum non formaliter in testem adhibeant, dum hanc intentionem suam oculis, vocis modo, nutu, etc. exprimunt. (Ball. P. n. 1246) Quare ad praxim vix faciunt disputationes quas de quaestione formalis praesentiae parochi movent Canonistae. (Bened. XIV, de Syn. l. 13. c. 23. n. 5)

3° Ut valide assistat parochus, sufficit ut contrahentium consensum audiat, modo eorum voces noverit, etiamsi forte eosdem ob caecitatem, velum interpositum, etc., videre non possit : non apparet enim quare tunc matrimonium contrahi certo percipere nequeat. Ita opinamur, cum Ball. P. (n. 1247), conciliari posse AA. quorum alii, ut Gury (II. n. 851), absolute negant, alii, ut Aichner (l. c.), absolute affirmant opus esse ut contrahentes simul videantur et audiantur. Immo valide assistit parochus qui affectat contrahentes nec videre, nec audire, quando eos facile videre et audire posset, sicut reliqui testes eos vident et audiunt, quemadmodum a S. C. C. in causa Carthag. an. 1753 decisum esse refert Bened. XIV. (l. c. n. 11)

4° Quae de parochi in praesenti argumento dicta sunt, valent quoque de duobus testibus qui eodem tempore adesse debent.

Punctum II. De locis in quibus viget.

499. I. Ipso decreto Conc. Trid. determinata est norma qua impedimentum clandestinitatis inducatur : “ Decernit (S. Synodus) ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis, in eadem parochia factae, numerandos. „ Igitur non viget ubi numquam fuit publicatum, nisi consuetudine legitime praescripta ibidem fuerit servatum tamquam impedimentum dirimens. (Vol. I. n. 128) Quamvis autem requiratur publicatio in singulis paroeciis facta, non propterea censenda est invalida ubi nondum canonice erectae sunt paroeciae, dummodo fiat in singulis quasi-paroeciis vel etiam territoriis quae certi cujusdam missionarii

curae demandantur, ut liquet e resp. S. Inqu. 14 Nov. 1883 ad episc. S. Hyacinthi. (Act. S. S. t. 17. p. 351) Neque ex facta divisione territorii in quo decretum *Tametsi* publicatum est, partes avulsae vel recens erectae parochiae a lege, jam territorium possidente, liberae renuntiari possunt. (S. Inqu. 14 Dec. 1859 ; Coll. P. F. n. 1403)

Manifestum est idem decretum non vigere in novis missionibus quae fundantur, etiamsi forte olim, ut factum est in Japonia, in iis locis promulgatum est, sed deficientibus sacerdotibus in desuetudinem abiit. (S. Inqu. 11 Mart. 1868 ; Coll. P. F. n. 1408) Consultius autem est legem illam in iis locis non publicare, nisi probante S. Sede : quamquam nullo sufficienti fundamento nituntur qui, cum Zitelli (Appar. J. Eccl. p. 419), contendunt jam non licere, sine S. Sedis facultate, publicationem quam Trid. (l. c.) episcopis praecipit. Profecto eam facere nequaquam ad parochos, sine venia Ordinarii, pertinet.

500. II. Haeretici per se tenentur legibus ecclesiasticis et speciatim lege clandestinitatis, quando in territorio quod incolunt publicata est. (Vol. I. n. 94) Attamen, ex Declaratione Bened. XIV 4 Nov. 1741 de matrimoniis Hollandiae, constat tum matrimonia haereticorum inter se, tum matrimonia catholicorum cum heterodoxis esse valida in iis partibus Hollandiae hodiernae, quae ad pristinos Status Foederatos Belgii pertinebant. Nomine autem haereticorum in hac declaratione comprehenduntur : 1° Qui catholice baptizati, a pueritia nondum septennali in haeresi educantur, ac haeresim profitentur. — 2° Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scil. vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta et cultu non frequentato. licet aliquotiens participato. — 3° Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adjunguntur. — 4° Apostatae ab Ecclesia catholica ad haeticam sectam transeuntes. — 5° Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt nec ullam sollemnem haereseos professionem emisissent, ac veluti nullius sunt religionis. (S. Inqu. 6 Apr. 1859, ap. Feye, n. 319)

Extensa est eadem Declaratio ad plura alia loca vel regiones : catalogum videsis apud Zitelli (Appar. Jur. Eccl. p. 435 seqq.) De reliquis regionibus in quibus viget pro catholicis, saltem inter se nubentibus, decretum *Tametsi*, plurimum disputatum est utrum matrimonia haereticorum in iis contracta valida an invalida forent. Verum, cum hujusmodi quaestio praesertim practica sit quando de dissolvendo matrimonio haereticorum ad unitatem catholicam redeuntium agitur, non licet cum simplici probabilitate et ob privatam opinionem procedere ad separandos conjuges vel novas nuptias permittendas, sed ad S. Sedem recurrendum erit in omnibus locis pro quibus nondum claris

documentis Pontificiis statutum fuerit utrum hujusmodi matrimonia ibi valida an irrita sint. (Feye, n. 308; Aichner, § 192) Attamen satis constat quamnam normam S. Inq. sequatur in iudicio de matrimoniis haereticorum ferendo. Vid. pro eorum valore pronuntiat quando, in loco de quo agitur, heterodoxi tempore quo ibidem decretum *Tametsi* publicatum est, jam communitatem a paroecia catholica prorsus distinctam efformabant; eadem vero invalida esse respondet quando, in eodem loco et tempore, heterodoxi nondum distinctam societatem religiosam efformabant. Hanc regulam ipsa S. Inq. clare indicat in resp. quod 18 Mart. 1884 dedit episcopo cuidam Borussiae sciscitanti num validum esset matrimonium initum a viro protestante, sub Borussiae vexillis militante, cum muliere catholica. Respondit enim exemptionem communicari a parte haeretica parti catholicae; sed addidit: "Animadvertendum vero hanc doctrinam minime valere nisi pro iis locis in quibus haeretici jam tempore publicationis decreti Tridentini in separatam et per se consistentem communitatem seu quasi-paroeciam coaluerant, et ideo decreto in paroeciis catholicis promulgato non comprehendebantur." (N. R. Th. t. 26. p. 571)

Insuper attendendum est num forte aliqua specialis dispensatio pro haereticorum matrimoniis inter se (ut nuper pro Insula Melitensi) vel etiam pro matrimoniis mixtis (ut pro Hungaria, Hibernia, etc.) a S. Sede data fuerit. Elenchum locorum quibus talis facultas concessa sit, videsis apud Zitelli. (op. cit. p. 437) (1)

Punctum III. De ratione qua singulos fideles afficit.

501. I. In locis in quibus viget decretum *Tametsi*, valide contrahi potest matrimonium sine praesentia parochi, quotiens ob aliquam rationem *omnibus incolis communem* haberi nequit parochus vel alius sacerdos ab eo deputatus. Attamen in illo casu necessarium est ad valorem matrimonii ut saltem duo testes adhibeantur. Talis ratio est legitimi pastoris defectus, ut contigit tempore perturbationis Gallicae, cum vix alii quam *intrusi* adiri potuissent. (Resp. Pii VI 3 Oct. 1793 ad

(1) Loca in quibus decretum *Tametsi* publicatum vel non publicatum sit, recensent plures, ex. gr. Zitelli. (op. cit. p. 428 seqq.) Sufficiet nobis indicasse hoc decreto omnes, etiam haereticos, ligari in Belgio, Magno Ducatu Luxemburgensi, Gallia, Hispania, Lusitania, Italia, Austria (exceptis tamen, quoad matrimonia mixta et haereticorum inter se, Hungaria et Transilvania). Contra nemo eodem ligatur in Anglia, Scotia, Suecia, Dania et partibus quibusdam Germaniae. Viget quoad sola matrimonia catholicorum inter se in aliis Germaniae partibus, in Hibernia, Hollandia fere integra, etc. In Stat. Foed. Americae magna varietas circa hanc legem viget: accuratum catalogum exhibet De Becker, op. cit. p. 122 seqq.

episc. Genuen.); similiter tanta locorum distantia ut nonnisi cum magna difficultate sacerdos proprius adiri posset, quemadmodum respondit pluries S. Inq., ex. gr. 30 Jan. 1884 Vic. Ap. Arizonae. (Coll. P. F. n. 1412) In responso autem simili ad episc. S. Hyacinthi supra cit. additur: "Contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quamprimum id fieri potest, benedictionem nuptialem et curandi ut eorum matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis vel proximioris ecclesiae cui subjiciuntur."

Ubi vero difficultas adeundi parochi pertinet tantum *ad particulares personas*, communiter sentiunt AA. non cessare impedimentum. Rationem afferunt: hic agi de lege irritante, in qua non respicitur nisi communis difficultas. (Zitelli, App. Jur. Eccl. p. 427) Fatendum est rationem hanc minime stringentem esse, ut, contrariam sententiam propugnans, ostendit Ball. P. n. 1199 seqq., et patet ex iis quae dicta sunt de generali quaestione circa legem cujus observatio fiat in casu particulari noxia vel aequo difficilior. (Vol. I. n. 127) Nihilominus in praesenti argumento censemus satis constare de voluntate Ecclesiae ut impedimentum clandestinitatis non cesset nisi ob difficultatem communem: nam in documentis S. Sedis nullum vestigium est exceptionis pro casu difficultatis particularis.

502. II. Lex clandestinitatis localis est aequae ac personalis: *localis*, quatenus ratione territorii afficit omnes qui in eo versantur, etiamsi ibidem nullum domicilium vel quasi-domicilium habent; *personalis*, quatenus ab ea non fiunt, saltem plene, immunes qui, abeuntes e territorio in quo viget lex, matrimonium contrahunt in territorio in quo lex minime viget. Haec constant e multis S. Sedis decisionibus in casibus particularibus et e generalibus decretis, quamquam nondum omnino liquet quousque se illa efficacia impedimenti clandestinitatis in quibusdam casibus extendant. Itaque:

1^o Certum est invalidum fore matrimonium clandestinum quod contraherent in loco ubi viget decretum *Tametsi*, ex. gr. in Belgio, vir et mulier domicilium vel quasi-domicilium habentes ubi idem decretum non viget, ex. gr. duo Angli. Hi igitur si matrimonium inire velint ubi viget illud decretum, sub poena nullitatis, ibi contrahere debent coram parochi proprio vel sacerdote qui ab eo delegatus sit: secus enim non servant legem Tridentini, cui in eo loco subsunt. Hanc normam secuta est S. C. C. in causa Paris. 28 Jan. 1899. (Monit. eccl. t. XI. p. 97 seqq.)

2^o Valet matrimonium clandestinum in loco ubi decretum *Tametsi* non viget, si saltem unus sponsorum ibidem domicilium vel quasi-domicilium habet. Cum enim individua res sit matrimonium, unius privilegium alteri communicatur. Sic valeret matrimonium contractum

a Belga in Angliam tendente ibique, vel omnino occulte, vel coram sacerdote quolibet, ducente mulierem Anglam vel ancillam Belgicam ibidem quasi-domicilium habentem. Neque obstat quod sponsorum unus vel uterque ad locum in quo non viget lex clandestinitatis se contulerint praecise animo ineundi matrimonii, dummodo ibi saltem quasi-domicilium acquisiverint: nullam enim fraudem committit qui satisfacit conditionibus ab Ecclesia requisitis ad exemptionem obtinendam. Pariter valeret matrimonium si sponsi, e loco ubi viget Decretum oriundi, ubilibet contraherent coram duobus testibus et sacerdote qui a proprio eorum pastore ad hunc effectum delegatus fuisset, ex. gr. data nupturientibus facultate nubendi coram quo sacerdote maluerint. (n. 497)

3^o Matrimonium clandestine contractum, in loco ubi decretum *Tametsi* non viget, ab incolis loci in quo viget, certe invalidum est, si iidem illuc perrexere *cum fraude*, neque ibidem domicilium vel quasi-domicilium acquisivere. (Constat ex Brevi Urbani VIII, 14 Aug. 1627; Coll. P. F. n. 1391 in nota) Ut autem liquet e Litt. Bened. XIV ad Archiep. Goan. 19 Mart. 1758: cum fraude agunt qui regionem in qua non viget praedictum decretum, petunt animo ibidem, absque proprio parocho, contrahendi.

4^o Controvertitur num valeat matrimonium eorum qui in locum ubi non viget decretum *Tametsi*, alio animo quam matrimonii contrahendi se conferunt, puta ad negotia gerenda, ad feriandum, etc. Multi AA. quos enumerat et sequitur Ball. P. (n. 1187 seqq.) id valere opinantur, neque levi argumento nituntur. Etenim per se lex in particulari territorio vigens non afficit eos qui ab eo discessere (Vol. I. n. 95), nisi contrarium a legislatore statutum fuerit: quod hic non obtinet, siquidem documenta S. Sedis semper loquuntur de iis qui in fraudem legis alio migrant. Communius tamen recentiores (Aichner, § 192. n. 17; De Becker, op. cit. p. 110) tale matrimonium irritum reputant, existimantes intentionem legislatoris satis patere e documentis allatis aliisque, puta ex Instr. S. C. de P. F. 7 Jun. 1867 ad ep. Angliae et Stat. Foed. Amer. (Coll. P. F. n. 1407), ubi, sine distinctione inter casum praesentem et intentionem fraudis, edicatur: "Juxta ea quae in hoc decreto (Brevi cit. Urbani VIII) sancuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Tridentina lex viget, nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem, sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant." Sane nullo claro decreto S. Sedis, vim universalem habente, reprobata est sententia valori talis matrimonii favens. Si factum contingeret et sponsi ab invicem separari novumque matrimonium inire vellent, casus iudicio S. Sedis submittendus videretur.

XIV. IMPEDIMENTUM IMPOTENTIAE.

503. NOTIONES. Impotentia, in praesenti impedimento, a Canonistis definiri solet: vitium naturale vel accidentale impediens viri ac feminae carnalem commixtionem, quae fit per vasis feminei penetrationem et seminis in id effusionem. (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 15. n. 2) Haec impotentia coeundi sedulo distinguenda est ab impotentia generandi seu *sterilitate*, quae crebro absque priore occurrit.

Verum maxime arduum est in quibusdam casibus discernere quinam impotentes in sensu praesentis impedimenti, quinam mere steriles dicendi sint. Difficultatem enim non levem ingerunt perfectiores notiones, quas recentiores physiologi de generationis humanae processu assecuti sunt (Vol. I. n. 387), et quae nonnihil discedunt a placitis quibus innixi Canonistae et Theologi praesens argumentum tractarunt. Itaque breviter praecipua capita exponemus, illos praesertim AA. secuti qui, ut cl. Eschbach (Disp. phys. theol. p. 106 seqq.) et Capellmann (Med. Past. p. 159 seqq.), veriores recentis physiologiae notiones principii veterum DD. applicant. Videlicet:

1^o Certe impotentes in sensu stricto sunt viri qui semine carent, quales sunt spadones et eunuchi, quibus nempe uterque testiculus ablatus est: quod contra quorumdam sententiam declaravit Sixtus V *Motu proprio* an. 1587. Numquam vero ob provectam aetatem impotentes censendi sunt senes: nam seminis secretio, licet ob senectutem minuatur, numquam penitus tollitur; quin etiam spermatozoïda continere ac proinde per se prolificum esse solet semen a sene emissum. (Béclard, *Traité élém. de physiol.* II. p. 642)

2^o Experimento hodie constat ad mulieris fecundationem non esse omnino necessarium ut membrum virile in vaginam penetret, sed semen ori vaginae appositum sufficere ut absolute loquendo, rarius tamen et difficilins, generatio sequi possit. Hinc orta est quaestio: num penetratio penis in vaginam requiratur ad veram copulam habendam, et consequenter num impotens dicendus sit qui, ob propriam caliditatem, mulieris artitudinem similesve causas, semen tantum ad os vaginae deponere queat. Probabilius manet impotentia: quia contractus naturalis matrimonii postulat potentiam ad copulam, juxta leges ordinarias, habendam, dum hic daretur tantum capacitas ad fecundationem per accidens et plane extraordinario modo obtinendam. Idem omnino dicendum si naturalis impotentia nonnisi illicita arte curari posset, videlicet ope fecundationis artificialis, de qua dicitur n. 545. VI. Practice, ante matrimonium contrahendum, si certo constaret de impossibilitate perpetua penetrationis, ad iudicem ecclesiasticum recurrendum foret: nam agitur de impedimento, saltem probabili, juris naturae. Quodsi, matri-